

JO. CAROLI CHRISTIANI WACKERHAGEN
HANNOVERANI

COMMENTATIO

DE

PRINCIPIIS ET LIMITIBVS
OBLIGATIONIS LIBERORVM
AD FACTA PARENTVM PRAESTANDA.

IN CONCERTATIONE
CIVIVM

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

DIE IV. JUNII MDCCCXC

AD PRAEMIVM A M. BRITANNIAE REGE AVG.

CONSTITVTVM

AB ILLVSTRI IVRECONSULTORVM ORDINE

SECVNDO LOCO

ACCEDERE IVSSA.

Dulce periculum est.

HOR.

GOTTINGAE

TYPIS JO. CHRIST. DIETERICH.

KÖNIGLICHES
UNIVERSITÄT

INSTITUTUM
DE
RITIBUS ET CEREMONIIS
SACRORUM LIBERORUM
IN PARS PRÆSTANTISSIMA

IN CONSTITUTIONE
CIVILI
ORDINIS GEORGII PRÆSTANTISSIMI
IN PARS PRÆSTANTISSIMA
IN PARS PRÆSTANTISSIMA
IN PARS PRÆSTANTISSIMA

IN PARS PRÆSTANTISSIMA
IN PARS PRÆSTANTISSIMA
IN PARS PRÆSTANTISSIMA
IN PARS PRÆSTANTISSIMA



L. S.

Cum non ita sim vanus, vt paucis tantum numeris commentationem meam absolutam esse ignorem; certe nemo feuerior memet ipso de hoc meo qualicunq; opusculo iudicabit. Adest tamen, vt morem, edendi commentationes ad praemium accedere iussas praeteream, ratio, quae animum meum, ad hanc primam lucubrationum mearum prolem typis tradendam, mouerit, et vt opinor, haud plane inepta. Ea scilicet, quae etiam in ipsius opusculi adeunda elaboratione mihi ante oculos fuit, vt iis, qui studiis meis mihiq; fauere me haud indignum putauerunt, qualiacunq; profecerim, grato animo proponerem, solidiorisque disciplinae me non omnino incuriosum fuisse publice praeberem. Illis haec exigua iuuenilis ingenii doctrinaeque initia sacra dicataque pronuntio. Quod ad me attinet, animi in eos obseruantissimi fidem

et pietatem non prius exuam, quam amorem et studium literarum ipsarum et doctrinarum exuero.

Cum denique mihi, cui iam maxima pars orbis litterarii percurrenda superest, non hoc fuerit otii, ut pluribus rem meam illustrare fusiusque eam exponere valuerim, eximium solatium praebuit illud egregium poëtae:

Καιρὸν εἰ φθέγγαιο, πολλῶν
 Πείρατα συντανύσαις
 Ἐν βραχέι, μείων ἔπεται
 Μῶμος ἀνθρώπων.

Scribebam Gottingae d. XIII. a. Cal. Oct. c1700cx.

DE
PRINCIPIIS ET LIMITIBVS
OBLIGATIONIS LIBERORVM
AD FACTA PARENTVM PRAESTANDA
COMMENTATIO.

CAPVT I.

A) *Ex iurisprudencia naturali citra leges positiuas.*

I) *Citra ciuitatem.*

§. I.

Iam mihi, obligationis liberorum ad facta parentum praestanda principia et limites exploraturo, origo atque fons huius doctrinae paulo altius repetendus, neque prorsus omnem operam oleumque perdere videor, si notiones quasdam, ex intimis naturae ipsius penetralibus mentisque humanae indole hauistas, praemittere maioremque, Minerua fauente, lucem rei nostrae affundere conor.

§. II.

Hominis natura ita formata atque composita est, vt non solum, ad animi vires explicandas, *a)* sed etiam, quod ad corpus sensibus obnoxium attinet, in attingendo naturae scopo, ope aliena quam maxime indigeat. Omni enim auxilio destitutum eum naturae pro rationis legibus satisfacere non posse, cuique statim in oculos incurrit. Si enim cum PUFFENDORPIO *b)* hominem vndecumque in huncce mundum proiectum sibi que soli relictum citra omne subsidium humanum fingimus, certe omnibus rebus egeret, miserrimeque iste periturus, ne minimam quidem existentiae suae rationem habere posset. Inde iam in primo hominis statu naturali, quibusdam viribus plurium hominum coniunctis ad summum naturae finem consequendum opus est. Quod quidem ex duplici mentis humanae ratiocinandi modo liquet: primum, lato auxilio atque benevolentia, aliorum etiam munificentia subsidium conciliatur et comparatur, deinde vero iam a natura ipsa quaedam magni animi de aequalibus bene mereri, conscientia, homini incorrupto altissime infidet.

§. III.

Ex plurium deinde hominum coniunctione (de societate ciuili infra quaeram) v. c. barbarorum, filuas, ob bestiarum captationem et victus quotidiani comparationem, peruagantium, officia et inde iura obligationesque oriundae, vt deriuantur necesse est; homini enim ab omni sui generis alio animanti seiuncto ius nullum; sed potestas tantum rebus ad sui conseruationem necessariis vtendi competit. Officium vero nihil aliud est, quam actionis ex legis obseruantia necessitas. Inde tibi obligatio seu officium, ne alios a libero legum naturalium

a) Cf. HERDER in: *Ideen zur Philos. der Geschichte der Menschheit* Tom. II. p. 251.

b) In iure naturae et gent. L. II. Cap. III. §. 2.

lium exercitio vi prohibeas, idemque ab aliis postulandi ius enascitur. Ad quam obligationem implendam, cum vi aliquis cogi possit, recte perfectae, eae vero obligationes, vbi nulla, legi naturali conuenienter agendi stricta necessitas adest, imperfectae dicuntur. Hinc deinde a multis obligatio perfecta, quatenus in ea aut aliorum hominum accessio necessaria requiritur, aut ex natura hominis obligati sola deducenda est, in externam et internam diuiditur. Quum verum etiam ius et obligatio perfecta ex pacto, hoc est: ex alienatione quadam domini de re sua nascantur, inde prout vel verbis et factis, vel praesumptione alienationis nititur in expressam et tacitam dispescitur.

§. IV.

His vero positis principiis propius ad scopum propositum veniamus. Prima hominum societas in statu naturali matrimonium est *c*); vnde liberorum procreatione status familiae, de cuius iuribus atque obligationibus nostra imprimis interest, disquisitio enascitur. Multi sunt, qui parentum obligationem, sobolis educandae, ex pacto tacito generationis oriundam patent *d*): quod vero maxime in dubium vocandum. Quid enim de pacto tacito, vbi consensum daturus aut plane non existit, aut existens infans, ideoque sermonis, nedum rationis, plane expers est? Multo diuersis nititur principiis. In educatione liberorum summae legi naturali existentiae nimirum diligenti conseruatione parentes congrue agunt. Ad quam normam implendam, cum auxilium alienum necessarium sit, eam sibi amore et benevolentia conciliare necesse est.

c) Πρωτη και φοιτωθεσάστη των κοινωντων η κατα τον γάμον. HIERONYMUS in libro de nuptiis. Cf. WIELING de iure antiquo vitae et necis.

d) Cf. VILLAUME de l'autorité paternelle: Par l'acte de la génération le père contracte des obligations. — Assentit nobis GEBAUER de patria potestate, p. 5.

est. Qui vero parentes alios homines ita sibi deuinctos reddere possent, quemadmodum liberos, quum his in statu naturae miserino, alimenta, educationem, curamque praesent? Deinde impulsus quidam cum brutis homini communis, ut animantia a se procreata, sibi quoad formam, propensiones, omnemque naturam similia, amet atque conseruare studeat, menti humanae infitus est. Hic fons veraque obligationis parentum ad prolem educandam curandamque origo. Inde quoque latissime patet, eos eruditorum maximis distrahi erroribus qui ius parentum in liberos in occupatione ponendum putent; quum enim occupationis ius in iis tantum rebus quae in dominio esse possunt valeat: falso ad hominem extenditur *e*). Quod officium sicut parentibus a natura impositum est, pari etiam modo necessariis ad hunc finem rationibus iis uti licet. Hinc parentum ab initio imperfecta, aucta vero liberorum ratione, absolutior numeris, congruam ad educationem sequendi viam, potestas oritur. Hanc naturalem parentum potestatem ad animi corporisque liberorum vires formandas atque explicandas spectantem, obsequii obligatio in prole excipit. Quod vero prolis erga parentes obsequium spectat, quum in progressu aetatis et magis magisque politae rationis, solo illius consensu nitatur, libera etiam voluntate liberorum tollitur, neque vlla deinde mutua iura et obligationes dari possunt, nisi ea, quae grati animi generosa indoles officiaque interna suadeant *f*). Ex opera denique et cura parentum in generanda prole adhibita, obligationes liberorum ad facta parentum praestanda deduci possent, nisi potius Deucalionis lapides reitientis ludo, quam Pygmalionis in fingenda statua labore et diligentia opus esset. Accedit facete dictum

HIERO-

e) Cf. HOBBS in ciue. C. 9. item BYNKERSHOER de iure occidendi. Ex iure domini omnem hanc doctrinam deducere conatur.

f) Acute de hac re differit KNIGGE in libro: *Ueber den Umgang mit Menschen*. T. 2. p. 17. Hannover 1790.

9

HIERONYMI: non procreatione ius in liberos niti posse, saepe cum ipsorum parentum negligentia et cupidine nouae prolis destruantur germina g).

„Certo, qui dicunt, se causa reipublicae aut generis humani
„vxoribus iungi et filios procreare, imitentur saltem pecu-
„des, et postquam venter vxoris intumuerit, non perdant
„filios, nec amatores si vxoribus exhibeant, sed meritos.

§. V.

Obligatio igitur liberorum ad facta parentum praestanda in iure naturali proprie nulla est. Obiiciatur forte: parentes naturali plerumque propensione eo ferri, vt liberis educatis et ad plenum rationis usum progressis, de futura quoque sobolis cogitantes sustentatione, siue viui bona inter eam dispertiantur siue in futurum promittant. Hac ratione parentes summae legi naturali, sui ipsius scilicet conseruationi, conuenienter sese gererent. Senio enim confectis viribusque destitutis maior infirmitatis cura atque auxilium a liberis sperandum esset. Liberorum inde ipsa acceptione consensus tacitus facta parentum praestandi, quatenus pro viribus liceret hereditatis, illucelceret. Ad debitorum itaque realium solutionem, minime vero ex obligationibus personam defuncti solummodo spectantibus atque e delictis tenerentur; quod naturali hominum libertati et iuribus maxime incongruum esset, quum in statu naturae nullum ius in personam vltra mortem procedat.

Isto ratiocinandi modo pro maxima parte in PUFFENDORFII, WOLFII aliorumque eximiae notae virorum sententiam abiremus. Nobis vero de facultatibus, quibus tantum domino viuenti vti atque de iis statuere licet, disponendi potestas, plane ex iuris naturae parte, vbi modo de homine, quatenus ex animantis ratione praediti notione discerni potest, agitur, exulare et ad ciuitatis iura referri debere videtur.

§. VI.

g) Cfla. 32. qu. 4. C. 5. in deer. Grat.

B

§. VI.

Mirabuntur fortasse quidam, ex Dei existentia atque legibus, hominibus latis vniuersum ius naturae deducentes ne simili modo hanc etiam nobis differendi viam sumferimus *h*). Illis haec satis: iste ratiocinandi modus, quanquam viris acutissimis sat multis placuit, attamen hanc doctrinam ad legum posituarum prouinciam pertinere, minime in primis animantis naturalis notionibus adhibendum esse autumo. Multa enim et arguta demum ratiocinatione, vel vt experientia docet, rerum externarum mundi que contemplatione mens humana ad Numinis ideam ducitur *i*).

COMMENTATIONIS
DE PRINCIPIIS ET LIMITIBVS
OBLIGATIONIS LIBERORVM
AD FACTA PARENTVM PRAESTANDA
CAPVT II.

II) *Ex idea ciuitatis supposita.*

§. VII.

Homo, cum in summa naturae lege et norma exercenda aliena ope atque auxilio carere nequeat; plures homines in familias, pluresque familiae in ciuitatem coguntur. Ciuitas igitur

h) Cf. FEDER *vom menschlichen Willen*, tom. III. et HOBBS in *ciue*.

i) Acute de rationis humanae ad Dei cognitionem progressu disputatur in: *The life of JOHN BUNCLE Squire*. Tom. III.

igitur est naturalis plurium familiarum ad communem legum naturalium exercendarum finem coniuncta societas *k*). Leges ciuitatis generales in consensu legum peculiarium cuiuscunque indiuidui consistunt; summa ergo in ciuitate potestas sententiârum singulorum membrorum coagmentatione et complexu efficitur. Inde eos, qui ciuitatem indistincte in aequalem atque inaequalem diuidant, errasse puto. Cum enim omne indiuiduum omnibus caeteris in vniuerso subiectum sit, certo respectu quaeque societas inaequalis est *l*). Quod, quamquam in dubium vocari nequit, attamen nihilominus in ciuitate naturali iura et obligationes singulorum erga singulos aequalia inueniuntur.

S. VIII.

Quae vero singulorum iura ne inter se inuicem pugnent, vnde bellum omnium contra omnes oriretur, quum sua natura

B 2

sint

k) Multi eminentissimi ingenii viri, v. c. MARTINI in iure ciuitatis, PUFFENDORF et WOLF in iure naturae et HOBBE-SUS in ciue; TILLING *über Kants Metaphysik*, SCHEIDEMANTEL *im Staatsrecht nach der Natur und den Sitten*, in metu hominum ciuitatis originem quaerunt, quod quidem recte, si ius ciuitatis solum experientia atque ex eo quod primum in sensus incurrit, neque potius ex ipsis fontibus iuris naturae, vt hoc vtar, hypotheticis hauriendum esset. Singulares de ciuitatis ortu opiniones refert WIELAND *im teutschen Merkur Novembr. 1777*, et si praeclarae animi dotes in mala causa belle et argutissime defendenda mirum in modum enitent, attamen huic celeberrimo viro minime adfentire possum.

l) TILLING *über Kants Metaphysik* pag. 294 quodammodo consentit illustr. SCHEIDEMANTEL *im Staatsrecht* cit. tom. I. S. 4: "der Staat ist eine ungleiche aber auch eine eingeschränkte Gesellschaft." HERDER *in Ideen zur Philos. der Geschichte der Menschheit* tom. II. p. 301 sq. Egregrie hac de re WIELING diss. cit. p. 3.

sint infinita, quibusdam modis describi, et suam cuique normam agendi definiri oportet. Quadam igitur ratione, ut reliqua pars potestatis naturalis secura maneat, libertas individui coercetur. Ne igitur ea quae publica intersunt, detrimentum capiant, priuatae utilitatis negotia ut secundo veniant ordine necesse est. Hoc verum status primi naturalis ciuilibus discrimen. Quum conseruatio illibatae suae constitutionis summus atque perpetuus ciuitatis finis sit, quem leges statutaque imperantis *m*) inprimis spectant, iura quoque feminarii ciuium, liberorum scilicet, minime spernenda sunt. Ut enim in locum ciuium qui diem supremum obierunt alii succedant, imperans a parentibus educationem liberorum talem, ut noua haec rei-publicae germina bonae aliquando frugis euadant, omni iure exigere potest. Liberi vero grati animi sensibus commoti, omnia quae valeant ad communem utilitatem ciuitatis, cui de infantiae cura atque educatione quam maxime sunt adstricti, afferendo, insigni boni ciuis nomine se dignos reddent. Ius vero ciuitatis in singulorum liberos, iisdem cum parentum citra societatem ciuilem in sobolem potestate, principiis nititur. Ut enim parentes ad augendam felicitatem finemque natura exequendum sobolem educunt eique alimenta praestant, ita etiam vniuersae ciuitati simile ius in singulorum ciuium liberos competit.

§. IX.

m) Imperantis nomine non persona physica sed legum ferendarum potestas intelligitur, ita ut cuique ciuitatis membro illius potentiae pars propria sit, omnium vero ciuium collectione imperans efficiatur. Cf. ROUSSEAU *contrat social* C. VII. Chaque individu contractant pour ainsi dire avec lui même, se trouue engagé sous un double rapport, comme membre du souverain envers les particuliers et comme membre de l'état envers le souverain. Cf. etiam TILLING *über Kants Metaphysik* p. 393. Imperantis autem voce pro principe uti malim, imperantis enim notio magis collectiua quam principis videtur.

§. IX.

His igitur ciuitatis legibus parentum obligatio ad curandam educandamque prolem, quae in iure naturae citra ciuitatem nulla erat quum fortissimis adstringatur vinculis; iura etiam eorum, maximum necesse est vt inde capiant incrementum. Cum enim educationi atque formationi sobolis ad fines ciuitatis consequendos, plures quam antea difficultates inhaereant, maioriq[ue] labore et studio parentum opus sit, ea de causa maior etiam potestatis eorum extensio est necessaria. Inde quoque illa parentum auctoritas per longius temporis spatium sine dubio producenda est. Patriae autem potestatis in ciuitate naturali notio, ius parentum, rationem liberorum ita fingendi, actionesque eorum ita dirigendi, vt ad vtilitatem reipublicae pro virili conferre idonei euadant, complectitur n).

Liberis ad hoc cognitionis fastigium progressis, obsequium erga parentes horumque regimen soluitur. Grati vero animi officia, cura et consuetudo parentum nullo modo omittenda, consiliaque patris matrisue in vitae generis, coniugis, reique familiaris delectu atque institutione minime liberis spernenda sunt o). Inter eximios deinde modos ciuiles, quibus iura

B 3

natu-

- n) Non hoc fuit otii nobis vt in iuris paterni maternique discrimen diligentius inquireremus. Potestas eorum in iure naturae omnino aequalis, eorum modo ciuiliu[m] extenditur seu coercetur distinctionibus. HOBBSI enim ius fortioris in iure naturae:

Monstrum horrendum informe, ingens cui lumen ademptum. Adde WIELAND *im teutschen Merkur* l. c. qui in HOBBSI partem abire videtur. Ita mihi in fabula ratio, lex ciuitatis naturalis foret. Cf. WIELING *diff.* p. 4.

- o) H. GROTIUS in I. B. e. P. L. II. C. V. In tertio tempore filius ab omnibus est *αὐτεξούσιος* suiq[ue] iuris, manente tamen semper illo pietatis et obseruantiae debito, cuius causa perpetua est. TILLING l. c. pag. 315. Consentiant WOLFIUS et PUFFENDORFIUS in iure nat.

naturalia ab imperante vel extenduntur vel coercentur, singulis bona cuiusdam cuius defuncti adiudicandi potestas, ita ut reliqui ab eorum prohibeantur occupatione, referenda est. Quod quidem ea de causa instituitur, ne in progressu temporis fortior ditiorque reliquorum dominus euadat mutuaque inter ciues tollatur aequalitas. Vera haec legum de successione in ciuitate origo atque ratio. Imperans itaque iubendo liberos in bona parentis defuncti succedere parentes ipsos ab omni in fauorem extranei prohibet dispositione. Quod ius atque mutua obligatio inter parentes et liberos, non secundum nexum mere naturalem, sed ex legum ciuilium ratione intercedit.

§. X.

a) *Obligatio liberorum ad praestandum aes alienum.*

Huius ex lege ciuili manantis dispositionis tanta vis est, ut etiam patre dissentiente vel ab intestato decedente, liberis debeatur hereditas. Vix igitur est quod credam cum PUFENDORFIO praesumpta voluntate defuncti ius niti successionis. Supra enim vberius ostendimus (§. 5.) nulla vltra mortem extendi posse iura, praecipue cum de bonorum post decessum dispositione agitur fermo. Ex illo vero liberorum in haereditatem parentum succedendi iure, ut ad aes alienum defunctorum soluendum obligentur, efficitur. Cum enim omnes ciuitatis leges id spectent, ut summo societatis ciuilibus fini respondeant neque singulorum iure reliquorum detrahatur facultas, successione etiam beneficio ut obligationes quaedam atque onera ad heredes, imprimis ad liberos duplici vinculo et ciuitati et parentibus adstrictos, transeant necesse est. Summa in hac re norma praeclarum illud Rhetoris dictum: *patrimonii in alium transitori ratio est ut primum credito satisfiat p*). Quod quidem in plurium liberorum concursu fit pro rata ita ut, si vni liberorum ex peculiari causa plus a parente testatore relictum sit, hic etiam maiore ad soluendum teneatur obligatione.

Con-

p) QUINTILIAN decl. 273.

Contractuum deinde in ciuitate naturali praestatio plerum-
 que personalis est: omne autem ius, quod personam spectat,
 morte hominis obligati plane extinguitur. Liberis ergo con-
 tractus parentum praestandi atque implendi nulla est obliga-
 tio, nisi forte pacto atque consensu illorum expresso nitatur;
 tum autem re vera non facta parentum sed singularis libero-
 rum impletur obligatio.

§. XI.

Πατὴρ οὐκ ἔδη καὶ τιμωρῶν, παίδων οὐδὲν ἔνεπται. Plato de LL. I. IX.

Secundum GROTIUM nemo delicti immunis ob delictum
 alienum puniri potest *q*). Nam, cum poena, iustus actionum
 contra leges perpetratarum effectus sit, iniuste ad infontes
 extenderetur. Patre vero, capitis, honorum, facultatum,
 libertatis damnato, publica saepissime utilitas priuatae praefe-
 renda est. Lex Atheniensium huc referri potest, qua fanci-
 tum erat, vt, si quis aerarius ante multam solutam, obiisset,
 liberi eam penderent *r*). Egregium quidem amoris atque
 generosi animi specimen in Cimone: qui, cum pater Miltra-
 des multam soluere non potuisset ob eamque causam in vin-
 culis publicis deceffisset, carceris poenam ad redimendum patris
 corpus subiit ibique ad solutionem vsque detentus est *s*).
 Omnes autem animi sensus morum Iapanensium mouentur
 feritate, qui, auctore nequaquam spernendo *t*) non solum
 criminis reum sed etiam affines, liberos, parentes, vicinos,
 coniugemque innocentem minima de causa capitis damnant.
 Qui non hominum sed bettiarum rabie spumantium nulloque
 adhibito discrimine omnia dilaniantium mos habendus est.

q) In I. B. et P. L. II. C. XXI.

r) Cf. FISCHERAD ad Nepot. in Cimone.

s) Diod. Sicul.

t) Vaier. Max. 5. 3.

Dissentiant auctores an Cimon ex legis dispositione aut pietate
 commotus vincula subierit. — SCHEIDEMANTEL *im Staats-*
recht etc. T. I. p. 219.

COMMENTATIONIS
DE PRINCIPIIS ET LIMITIBVS
OBLIGATIONIS LIBERORVM
CAPVT III.

B) *Secundum iurisprudentiam positiuam.*

I) *Vniuersalem u).*

§. XII.

Leges populorum pro natura loci, regionis atque aëris temperie multo inter se diuersas esse constat. Cum enim mentis humanae dotes inuolucro quasi situque obductae, non nisi pro modo atque ratione, qua rerum externarum species in sensus incurrunt, explicentur et sensim sensimque poliantur, norma etiam agendi hominum secundum hoc principium diiudicanda est. Omnis in vniuerso terrarum orbe populus eadem semper fere ratione, a paruis initiis ubi cuique pro lubitu agere, nec vllis nisi paucis minusque solennioribus parere legibus fas erat, ad maiora creuit fastigia. Ex his igitur notionibus, generaliora spectantibus, ad rem nostram illustrandam principia quaedam defumamus.

a) *quoad
populos
venationis
studiosos.*

Homines sine dubio in primis et rudibus vitae initiis, venationis occupantur studis. Coeco enim nec adhuc satis distincto legum naturalium impulsu, facillimum et maxime ad illas seruandas obuuium idoneumque vitae genus in bestiarum capti-

u) In primis singulare in hac re discutienda studium curamque adhibuit illust. REITEMEIER in libello. *Encyclopädie und Geschichte der Rechte in Teutschland.* Auctör huius doctrinae omnino insignior.

captatione et caede eligunt. Ea nimirum quae ad vitae commoditatem tempusque dulcius fallendum pertinent in rudiori incultiorique hominum conditione plane exulant, rationisque subtilior vsus et applicatio eo demum venit tempore, quum mens humana otio acuitur curarumque libera, ad ratiocinationem morumque sensim impellitur comitatem. Apud plures itaque populos venationis studium prima ad vitae necessitates comparandas fuit institutio. Nullum fere inter eos societatis vinculum ad maiores modo bestias captandas, nec singuli hominis viribus ad vel interficiendas vel circumueniendas iunguntur. In consilio ad commune commodum capiendo, cuique singulo in hanc vel alteram partem eundi libera est potestas. Nulla lege obligantur, nullaque poena ad obligationem ex eiusmodi consilio reliquorum consensu capto, enatam compelli possunt. Viris venatione bellouae occupatis mulieres liberique carne ferarum dapes, bestiarum spoliis vestimenta parant. Quaeque familia patris regitur arbitrio. Nulla apud eas gentes dominii notio, casa, armaque ad venationem apta sunt diuitiae a patre ad filium peruenturae. Nullum igitur ius nisi capitis familiae arbitrium, nullaque ex arbitrio obligatio. Coeco naturae instinctu ad liberorum procreationem impulsus nihil liberos, nisi obscuro commoti affectu, curant: adeoque saepissime difficiliorem pro rei domesticae egestate, educationem sobolis metuentes, prolem natu posteriorem interficiunt. Inde etiam apud multas Americae nationes barbarus, herbis venenisque foetus abigendi infantesque occidendi mos obtinet *v*). Statim vero, cum filius ad victum sibi comparandum, satis adultus atque idoneus videtur, patris in eum cessat arbitrium, neque vtriusque parentis cura ulterius extenditur. — Hae igitur barbarorum societates maxime a ciuitate, certis legibus circumscripta et gubernata, differunt. Quo plures enim in nexu ciuili vitae necessitates, eo maior

in

v) ROBERTSON Hist. of Amer. T. I.

in agendo prudentia atque scientia requiritur. Patria enim potestas in ciuitate, cum parentum consilia liberis, prolis autem adiuuamen illis senio confectis, maximi per omnem vitam sit momenti, maiori extensione gaudet. Plane diuersa apud gentes rei venatoriae studiosas ratio obtinet. Nullus enim vero pater filium armis ad ferarum necationem idoneis instructum amplius curat, nulla igitur inter eos successio, nulla damni restitutio, nulla liberorum ad facta parentum praestanda inuenitur obligatio.

b) quoad gentes vitae pastoralis studiosas. Simili modo penes nationes rem pecuariam tractantes res se habere videtur. Idem incerta illis cum venatoribus sedes et status familiae, eademque, etsi pro vitae genere plerumque mores eorum sunt suauiores, vinculi ciuilis reperitur infirmitas w).

§. XIII.

c) quoad gentes agros colentes. Mox vero certe in progressu temporis multis rebus necessariis vitaeque commodis se carere homines animaduertunt. Multarum plantarum herbarumque vsu docentur vtilitatem. Caede perpetua ferarum numerum minui nec omnem tempestatem ad venationem opportunam praedamque tanto labore partam, paucas et admodum exiguas vitae praebere vident necessitates. Hac itaque ratione barbaras ad agrorum cultum gentes deductas videmus. Ab initio quidem foeminae puerique agrum colunt, paterfamilias dum in venationem aliasue id genus occupationes incumbit. In progressu vero temporis eius omnino auxilio et cura opus est. Deinde quisque dominium agri a se suaque familia exculti vindicat, hostiumque contra impetum tuetur. Inde arctiora necluntur societatis vincula, primusque agrorum cultor et auctor caput nouae eligi-

w) Cf. ROBERTSON I. C. et cel. MEINERS in *Geschichte der Menschheit*. Ille nimirum quaestionem, quomodo barbari ad agrorum cultum moresque inde vrbanores deducuntur (cui assentior) facilem hic difficillimam putat.

eligitur ciuitatis. Quae vna et eadem fere ratio apud omnes prisci acui obtinuit gentes ita, vt leges atque iura ex societate ciuili manantia in plurium populorum comparatione haud facile inueniantur dissimilia. Sic Osiris apud Aegyptios, Triptolemus apud Athenienses, leges de agrorum cultu, de modo colendi, et de successione legitima tulisse dicuntur. Res itaque mobiles quaedam, vtensilia v. c. atque supellex prius quam immobiles, in certo dominio atque libera domini dispositione; hae nimirum res immobiles per longum temporis spatium magis familiarum quam singulorum arbitrio obnoxiae fuisse testandique deinceps vis et potestas, pro aucta rerum immobilium copia mentisque humanae exulta indole, extensa videntur.

Iam igitur successionis iure inter eiusmodi populos constituto legibusque firmato, ad factorum parentum, aerisque imprimis alieni praestationem tenentur liberi; pro natura tamen iuris succedendi singulari, plurium liberorum in concursu, obligatio quoque soluendi, vt differat, necesse est. Hac lege apud nonnullas Tartariae, magnaecque Britanniae nationes, minimus natu in patris succedit bona, maior illi inde ad facta parentum praestanda est obligatio; maioribus enim aetate filiis atque adultis a patre certa supellex, armentorum pecorumque copia instructis, separata instituenda est res familiaris.

§. XIV.

Poenae denique cum apud populos modo descriptos fere nulla tantumque in criminis ultione ^{x)} quaerenda sit, ne speciem quidem poenae ex delicto cum publico tum priuato, ad liberos transire posse, facile adparet. Attamen etiam Arabum, rem pecuariam per pascua inculta vagando exercentium,

C 2

quae-

x) Vnde e. g. apud multas aetatis nostrae gentes, *Caribes*, *Aethiops*, vt *Israelitas* aliosque praeteriti temporis taceam populos, caedis inueniuntur ultores.

quaedam ducem in bello victum damnantes, eiusque liberos pari poena adficiētes, inueniuntur nationes, vti narrat MONTESQUIEU: *éprit de loix*, T. 3.

DE
PRINCIPIIS ET LIMITIBVS
OBLIGATIONIS LIBERORVM
AD FACTA PARENTVM PRAESTANDA
CAPVT IV.

II) *Secundum iurisprudentiam particularem.*

1) *Peregrinam, seu Romanam.*

a) *Secundum ius antiquum.*

§. XV.

Vt rite in obligationem liberorum ad facta parentum praestanda e iure Romano inquiramus, ab exordio remotissimo huius doctrinae notiones nobis deducendae esse videntur.

Primo nimirum Romanae a Romulo conditae vel emendatae reipublicae initio, patria potestas nullis limitibus circumscripta et definita erat, magis itaque primis temporibus domini *y*), quam imperii domestici speciem referebat. Pater enim cum liberos exponere, necare, oppignorare atque vendere posset, nullis eius potestas legitimis descripta erat terminis. Quod omnino illimitatum ius in sobolem parentes in heredes deuoluebant creditoribusque addicebant *z*). Iustos his iuribus limites Romulus primum posuisse atque deinde ab illo magis imperii domestici quam domini *quiritarii* accepisse dicuntur speciem.

y) Cf. HOFACKER princ. iuris ciuil. h. t.

z) MONTECVLVVS de patria potest. p. 6.

speciem. Teste enim Dionysio Halicarnassæo omnem foetum triennio maiorem necare atque exponere, nisi infans aliquis mutilus aut prodigiosus statim in ipso partu editus fuisset, vetabat. Cuique extemplo in oculos incurrit, Romulum totam huius atrocis et cum humanitate pugnantis moris animadvertisse crudelitatem. Cum vero ob populi ruditatem et barbariem hanc immanem ei non liceret radicibus euellere consuetudinem, ea partim modo abrogata; liberos ob facinora domestica puniendi vim patribus haud eripiendam, omnem vero saeuiozem in prolem animaduersionem, nonnisi quinque vicinis conuocatis, admittendam esse statuebat. Quum vero haec omnia patris in progeniem iura, nemini apud Romanos, nisi cui indulgerentur, recte propria Romanis vocantur. Inde etiam, si filio aqua et igni interdictum erat, quia hac capitis diminutione peregrinus fiebat, pater ius suum etiam in illum amittebat. *VLPIANUS a)* neque peregrinum ciuem, neque ciuim peregrinum, in potestate patria habere posse, auctor est, cui legi iam Romuli temporibus sine dubio dabatur locus. Patria igitur potestas morte siue ciuili siue naturali, patris filiiue, atque emancipatione filii haud inuiti soluebatur. Hac ratione, a Romulo definita patria potestate, idem inter ciues suos agros diuidit atque de liberorum in patria bona statuit successionem. Quae quidem successio, cum illis temporibus testamentis caruerint Romani et de ordine succedendi lege regia certe prouisum esset, nullaque ratione singulo cui peculiari voluntate de bonis suis post mortem aliquid statuere liceret, semper erat ab intestato. Haec autem succedendi ratio minime foemineam sobolem, sed filios tantum spectabat. Quum illa enim, ne bona vnus familiae transfirent in alteram, curiose caueretur, quod lege agraria sancitum erat, ab omni successione excludebatur. Si vero filiarum forte successio non aduersaretur huic legi, succedebant. Inde cum hereditatis commodis omni filio, quatenus heredis nomine, defuncti re-

C 3

ferebat

a) Fragm. Tit. X. §. 3.

ferebat personam, perpetienda et praestanda erant incommoda. In plurium liberorum conflictu, cum caetera defuncti bona tribus arbitris familiae heriscundae diuiderentur, singulo pro rata patris erant soluenda debita. Ex delictis, quae tunc aetatis pro maxima parte priuata erant, minime tenebantur liberi succedentes: causa nimirum secundum GROTIUM *b)* haec est: quod heres personam defuncti non in meritis referat sed in bonis.

§. XVI.

Illam patriae potestatis, sobolisque ad facta parentum praestanda ex iure successionis sub regibus fuit ratio. Romuli enim leges, minutis tantum a Numa atque Seruio Tullio immutatae sunt. Quae quidem constitutiones expulsis etiam regibus, quum a decemuiris complexus quidam iuris ciuilis ex moribus et legibus cum vernaculis tum peregrinis, componeretur, quod ad iura patriae potestatis, eadem manebant, hac tantum adhibita mutatione, ut filius, si ter pater eum vendiderit, liber esset, quum regio iure semper in patriam regrederetur iurisdictionem; neque haec omnino ficta venditio, quod morum lenitate deinde introductum, sed vera putanda est: etsi proprie oppignoratio magis quam venditio erat; nunquam enim parens ius suum in filium oppignoratum amittebat, sed debito soluto locus erat repetitioni. Cuius legis quamquam posteriori demum tempore vestigia occurrunt, attamen Dionys. Hal. *c)* eam iam a Romulo latam, Numaque confirmatam esse, auctor est. Tabula V. *d)* legum a decemuiris congestarum, eatenus etiam iuri regio derogabat, ut rite testamentis liberi a successione paterna excludi possent. Quod sine dubio ex iure illimitato vitae et necis et venditionis sequebatur. Si enim patri necandi, vendendi, exponendi liberos esset

b) H. Gr. de I. B. et P. p. 665.

c) Ant. Rom. I. 2.

d) Cf. BACH hist. iur. "paterfamilias, uti legassit, ita ius esto!"

esset potestas, bonis suis etiam eos priuandi facultate gaudebat. In eadem tabula etiam de soluendo aere alieno patris, si succederent liberi, ita prouidebatur, ut illo defuncto pro portionibus hereditariis conueniri tantum possent. Quod ad obligationem ex delictis attinet, ita tenebantur liberi ad hanc praestandam, ut patre multam debente, liberi ad hanc praestandam noua accedente debendi causa, aditringerentur.

§. XVII.

Quamquam in hoc mediae aetatis nobis percurrendo ^{b) secundum iuris prudentiam mediam.} spatio, eadem fere obligatio liberorum ad facta parentum praestanda manebat, attamen in patria potestate atque iure successione, huius rei fontibus, haud pauca immutabantur. Vti enim occisio et venditio seu oppignoratio liberorum fiebat rarior, omnique fere destituebatur usu, ita quoque in iure successione multa antiqua obligationis liberorum erga parentes, omnino abrogata, nouaque introducta reperiuntur. Patria nimirum potestas arduioribus sensim coercebatur limitibus, filiique pristino tempore per totam vitam parenti subiecti a. u. 490, lege Laetoria, anno XXV. aetatis completo, soluebantur. Vnde etiam ex magna parte pendebant successione iura, quum heres suus omni iure in defuncti succederet hereditatem, emancipatus vero, non nisi bonorum nancisceretur possessionem. Quemadmodum vero illa lex a Tribuno plebis lata, haec ita praetorum constituta erat edictis. Sensim omnino XII. TT. leges, moribus ab antiquiore simplicitate toto coelo diuersis immigratis, usu et adplicatione destituebantur: quumque igitur illa priscae legislationis haud sufficerent praecepta, aut temporibus, iure honorario, edictis praetorum fenatusque consultis adcommodabantur aut plane nouis abrogabantur legibus. Luxu peregrinoque mundo Roma victrix in intimis partibus arrosa et corrupta magno impetu ad ruinam proferebatur. Inde exempli causa, ne testatores, inanes iacantes diuitias, immensa legatorum copia haeredi damnum adferrent, a. u. 714 lege

lege Falcidia cauebatur, ne liceret ultra dodrantem haereditatem exhaurire legatis *e*). Quae lex, cum sine dubio ea de causa lata sit, ne heres ab aeris alieni defuncti praestatione impediretur, liberi inprimis ultra quartam, legatorum laesi multitudine, nullo modo ad soluenda legata tenebantur, nisi extinctis debitis. Quum vero omnia in hac media iurisprudentiae aetate, siue temporis iniuria perierint praecepta quae rei nostrae interesse valerent, siue Romanis, bellis ciuilibus seditionibusque conturbatis, haud reipublicae curandae multum esset otii, paucae illis temporibus latae leges, quieta demum ciuitate sub Augustis confirmatae nouisque magis definitae sunt constitutionibus.

§. XVIII.

c) secundum iurisprudentiam nouam.

Cum deinde sub imperatoribus ius vitae et necis, maxima patriae potestatis insignia, exoleuerint, obligatio quoque liberorum ad facta parentum praestanda sensim restringebatur et cum iure successionis angustioribus includebatur terminis. Interueniebat primum illa de re publica auctoritas inter Hadriani vsque ad Alexandri seueri tempora *f*). Ille nimirum, patriam potestatem non in atrocitate sed in pietate consistere debere, in acriori crimine filium praesidi prouinciae offerendum esse, sanciebat *g*). Successionis deinde leges auctas, mutatas, magisque definitas esse, necesse est. Nam eas leges quae in libera republica per suppeditarent, euersa pristina regiminis forma, saepissime adplicatione destitutas fuisse, cuique in oculos incurrit. Quapropter enim uero JUSTINIANUS, lege FALCIDIA deliberandique beneficio haud sufficiente, beneficium introduxit inuentarii, quo, declarante here-

e) I. I. §. I. pr. ad l. Falc. "qui ciues Romani &c." l. 10. D. ad l. Falc.

f) GEBAUER de patr. potest.

g) l. 5. d. ad L. P. de parricid. l. 3. C. de patr. potest.

herede, se modo pro viribus hereditatis obligationes praestitutum esse, vt statim legitimo confecto inuentario adire possent hereditas, fanciebatur. Quod quidem beneficium inuentarii, iam a GORDIANO militibus concessum JUSTINIANUS ad omnes extendit ciues *h*) atque ita illi priori derogabat constitutioni, vt, si quis postea beneficio deliberandi vteretur, legitimoque elapso tempore adiret haereditatem, sine vlllo discrimine ad facta testatoris praestanda teneretur, legisque FALCIDIAE et inuentarii plane amitteret beneficium *i*). Hac etiam ratione se tuebantur liberi, quum caeterum indistincte ad patris soluenda debita essent obligati *k*), hac tamen limitatione, vt legata nonnisi deducto aere alieno praestarentur.

Cum igitur liberi successione in bona parentis in vniuersitatem iurium seu in omne ius defuncti immittantur, omnia eius commoda cum oneribus rite suscipienda sunt. Non vero praestantur facta mortui ipso iure nulla. In fideicommissis e. g. familiae, non eius, qui nouissime supremum diem obiit, sed ius primi illa instituentis transmittitur in liberos *l*). Fideicommissum enim quum quasi aes alienum sit, eaque de causa bonis vltimi defuncti adnumerandum, non in huius sed in primi disponentis succeditur bona. Inde liberos ex dispositione parentis de re fidei commissa ipsimet a maioribus relicta nullo modo obligari, omniaque ea de causa a defuncto statuta irrita esse, efficitur. Fideicommissa autem ab ipso vltimo testatore relicta et instituta omnino liberis praestanda sunt, hoc tamen beneficio

h) l. 22. C. de iure delib.

i) l. cit. §. 14. 15.

k) l. 8. de acquir. vel omit. her.

l) l. 67. pr. et §. squ. de leg. 2. quid est enim quod de suo videatur reliquisse, qui quod relinquit, omnimodo reddere debuit. l. 3. de interd. et releg. l. 73. ad l. falc.

ficio ut, si e. g. iurisconsultus forte eximium librorum, rem suam solummodo spectantium, sub lege fideicommissaria reliquerit delectum, liberis vero siue militiam siue mercaturam siue aliud vitae genus eligentibus, nulla recte illo utendi sit copia, omni iure de tollendo fideicommissio, iudicem pro rei natura et aequitate arbitraturum, conuenire possint.

Ex quibusdam deinde, qui rei defuncti intersunt, contractibus conueniri possunt liberi, v. c. a negotiorum gestore quasi contrahente cum parente mortuo. Aes enim alienum hac ratione etiam post mortem patris conflatum, liberis praestandum est *m*). Absit tamen in vero contractu dolus defuncti, alioquin non in liberos competit actio *n*).

§. XIX.

Ad delictorum poenam denique praestandam non obligantur liberi *o*). Si tamen forte quid scelere defuncti quaesitum esset, omni iure restituendum est. Hoc admissio discrimine, ut lite contestata in solidum, alioquin tantum ad reddendum id, ex quo facti sunt locupletiores, teneantur. Poena vero singularis ex crimine patris descendens cum persona eius extinguitur *p*), multa vero fisco a liberis soluenda est.

m) l. 21. de negot. gest.

n) §. 1. J. de perpet. et temp. act.

o) l. 32. ad l. Falc.

l. 20. D. de poenis: receptum est commentitio iure ne (poena) ad heredes transeat.

p) l. 6. de publ. iud. l. 10. ad Sc. Turpill.

De pluribus legi meretur MULLER f. resp. DANKLUFFT quatenus poena ad heredes transeat vel non. Ienae 1689.

DE
 PRINCIPIIS ET LIMITIBVS
 OBLIGATIONIS LIBERORVM
 AD FACTA PARENTVM PRAESTANDA
 CAPVT V.

Iure germanico.

a) *Privato.*

§. XX.

Obligatio liberorum ad facta parentum praestanda apud Germanos diuersis subnixis principiis, multum hac de causa, ab ea, quae apud Romanos obtinebat, differt. Cuius discriminis ratio facile ex iis quae ex iurisprudencia monuimus vniuersali, adparet. Quippe Romani ab initio in cultum agrorum incumbantur studio. Maximum itaque inter Romanorum, Germanorumque ius patrium hoc est discrimen, quod nunquam Germanis neque dominium plenum in liberos neque domestica competeret iurisdictio. Patrio igitur apud maiores nostros iure, nullum aliud, quam liberorum actiones in ipsorum felicitatem dirigendi ius, denotatur *q*). Illa etiam Germanorum in sobolem vis magis congruit cum iuris naturae legibus quam Romanorum in liberos potestas, indeque, ut tribuatur, apud illos idem fere ius patri quam patri efficitur. Pro hocce inter utriusque populi iura discrimine, successionem etiam differre necesse est. Successio nimirum Germanorum ab antiquissimis temporibus praecipue pactis et vltima voluntate defuncti, quocunque modo, eo adhuc in bona valetudine degente, ex-

D 2

pressa,

q) Cf. DE SELCHOW elementa iuris Germanici. p. 430.

pressa, nitebatur. Vniuersum ius succedendi apud maiores nostros moribus introductum legibusque deinde confirmatum fuit; cuius quidem multa diuersa apud Romanos ratio: his enim, vt supra notauimus, Romulus, primus omnino, nouas de hac re leges tulisse fertur. Neque apud Germanos pactum de futura hereditate bonis moribus habebatur contrarium. Magis quoque pacta successoria quam testamenta iuri naturae conuenire, facile intelligitur.

§. XXI.

a) *iure antiquissimo quod ad ares alienum attinet.* Secundum iura Germanorum antiquissimam omnes liberi ad facta defuncti parentis praestanda tenentur. Haec enim legum apud eos fuisse videtur ratio, vt qui hereditatem periret, debita etiam solueret r). Praecipue ad hoc obligantur liberi s) quum iniusta sit praesumptio illius, qui facta seniorum, h. e. parentum conatur irrumperere t). Quae quidem iniusta, facta parentum praestandi negligentia, in medio aeuo hac poena adficebatur singulari, vt scilicet, si heres contra voluntatem defuncti parentis agere voluisset, episcopus omnia bona ad iussa defuncti rite implenda relicta, sibi adsumeret u).

§. XXII.

b) *iure medii aeni.* Haud differunt sequiori tempore constituta iura prouincialia atque urbium, ex quibus adparet, omnem iusto modo hereditatem adquirentem ad debita soluenda teneri v). Quae quidem aeris alieni solutio sine dubio ita instituebatur, vt mortuo

r) L. WISIGOTH L. VII. c. 5. C. 8.

s) L. Burgund. T. 65.

t) Capit. W. FRANC L. VII. C. XVII.

u) Adde Cap. W. FRANC l. c. C. III.

v) Ius prov. Suev. C. 254. — Adde BERGER p. 15 seq. Ius prov. Hadel. t. 3. ibid. t. IV. ibid. t. XV. stat. Verd. Ius prov. Wurfat. a. XVI. §. 1. 2.

mortuo patre ex utriusque coniugis indiuisis bonis extingueretur.

Ex communione enim bonorum, tum in Germania recepta, etiam ut postea in soluendo aere alieno conferrentur, efficitur *w*). Quod quoque magnum inter Romana Germanorumque iura discrimen, apud illos nimirum nulla dote, in antiquissima aetate, illata, filiabus ab omni successione exclusis, nullus de bonorum communione sermo reperitur. Deinde praecipiebatur donum matutinale et legata; reliqua inter liberos diuidebantur: bonis vero non sufficientibus ad praestandum aes alienum, etiam donum adhibebatur matutinale, et ne obolus quidem dabatur donatariis.

§. XXIII.

Haec generalis apud Germanos liberorum obligatio, iam quibus limitibus circumscribatur, explorabimus. Secundum strictas iuris Romani regulas liberi heredes, etiam non sufficientibus bonis relictis, ad omne aes alienum praestandum cogebantur. Multo aequiores Germani. Nullo modo, hereditate exhausta, reliqui defuncti aeris alieni onere premebatur filius; inde nonnisi pro viribus hereditatis ad debitorum solutionem obstringebantur liberi. Lex tamen Ripuaria hoc loco caeteris feuerior. Hac enim omnis heres semper in solidum tenetur *x*). Non etiam est, quod legem Ripuariae forte cum Burgundionum constitutione consentire mireris, quum utramque omnimodo ex iure Romano confutam esse constet. Legibus vero Wisigothorum, Saxonum, aliorumque *y*)

D 3

liberi

w) Sec. vet. paroem: *Ist das Bett beschritten*
So ist das Recht erstritten; et

Wenn die Decke über den Kopf ist
So sind die Eheleute gleich reich.

x) Cf. §. IX. l. c.

y) LL. WISIGOTH l. c. §. XI. L. Sax. prov. l. i. a. b. & c. de plur. leg. REINHARD in iur. und histor. kleine Ausführung.

liberi ad ea tantum, quae ex parentis possident bonis, in solutionem conferenda obligantur; iam quoque saeculo XVII in iur. prov. Hadel. 2) beneficium inventarii adhibitum esse adparet.

§. XXIV.

Et si generali fere regula ad obligationes ex contractibus patris adstringantur liberi a) ita, ut etiam e. c. locatio praestanda sit, neque locatarius, nisi tempore constituto elapso, ad rem restituendam cogi possit, attamen iure Saxonico b) filii ad locationem conductionem a patre initam, adimplendam non obstringuntur, immo adhuc viuo parente libera illis interuenienda est potestas.

Ex chirographo deinde nulla contra liberos heredes institui potest actio, nisi expressis et illis consentientibus nomini inserti sint c).

Omnis denique donatio defuncti non valet nisi eo in bona valetudine degente, facta sit; quae vero mortis causa donantur, non praestanda sunt a liberis, quum omnis mortis causa donatio, secundum ius provinciale irrita sit habenda d). Excipiantur vero, quae ad pias causas reliquit defunctus; ne vero in liberorum sint donata inuidiam, omnino requiritur.

§. XXV.

Quoad venditionem omnia, patris industria comparata, recte ab eo alienari possunt. Si vero auita hereditas stemmatica sit atque in iis primo succeditur acquirenti, nulla de illis vendendis aut alio modo alienandis nisi consentientibus liberis agnatisque, valet dispositio. Neque ex illis facta defuncti

2) Ius prov. Hadel. a. 1671. T. 3.

a) Cf. Ius prov. Hadel. t. XV.

b) — — — l. III. a. 77.

c) — — — artic. IV.

d) Ius prov. Wurfat. art. XVI. §. 1. 2. Ius prov. Kheding t. XII.

defuncti omnia quae cogitari possunt a liberis et ad pias causas, ne ultra decem quidem florenos, praestanda sunt. Quae quidem omnia haecenus a nobis memorata singulari statutorum iuriumque prouincialium, deinde vero etiam ex accurata eiusmodi scriptis nominibusque antiquis addita liberorum agnatorumque subscriptione clarius illucescunt.

§. XXVI.

Sunt denique omnino leges Germanorum quibus obligatio liberorum ad praestandam fideiussionem constituta aut saltem ei indultum esse videatur *e*). Attamen hoc iuris solum particularis neque ad vniuersum extendendum arbitror. Omnes etenim eiusmodi obligationes mere personam respicientes defuncti, non transeunt in liberos, praesertim quum fit de obstagio sermo. Id, lege Burgundionum *f*) consentiente concedendum censeo, vt parente defuncto liberi iudici eius denuncient obitum, debitorque alium studeat sibi comparare fideiussorem.

§. XXVII.

Quod ad delicta attinet, in genere cum malefico culpa interibat apud Germanos etsi lex *Ripuariorum g*) disertis verbis filium, patris rei vel innocentiam probare eiusue poenam perpeti iubet. Nihil vero eiusmodi in aliis occurrit legibus Germanorum; lex potius *Visigothorum h*), crimina suos legi debere auctores, nec filium pro patre puniri posse innuit.

e) Cap. Carol. p. a. 74. c. 17 apud GEORGISCH in corp. iuris Germ. collect. 497.

f) T. LXXXII. C. II.

g) Lib. 17. C. 1.

h) Lib. 1. C. 8.

CAPVT VI.

b) *Ex iure feudali.*

§. XXVIII.

Etsi illa in hac commentationis parte ex iure Longobardico monenda iuri peregrino adnumeranda sunt, tamen, vt res nostrae melius ex Germanorum de feudis constitutionibus illustrari possint, huc deducenda esse, non plane ineptum censuimus.

Summum in iure feudali obligationem liberorum ad facta parentum praestanda rite discutiendi hoc sumamus principium, quod omnis filius in feudo semper ex pacto et providentia maiorum succedat, et quidem non directum, sed vile tantum rei in eum transferatur dominium. Varias illius legis quam passim inveniuntur exceptiones, ita, vt vel pactis vel inuestitura de alio conuentum sit, illam tamen legem in re nostra tractanda summam ponendam esse normam, nemo inficiabitur. Quum igitur secundum hoc principium liberis non nisi ex maiorum acquisitione ius in feudum succedendi competat, ad facta patris ex feudo praestanda, nullo modo cogi possunt. Ex allodio vero, hoc est ex bonis in nexu feudali non contentis, aes alienum extinguitur. Quoad allodium obligationemque debita parentis defuncti ex eo soluendi, quum iuris priuati sufficient leges, modo de factis ex feudo qua tali praestandis vociferatio nobis necessaria videtur. Nihil igitur etiam de feudo hereditario, quum in huius successione eadem quae in allodio vbi nulla hereditas intelligitur, nisi deducto aere alieno, ad facta praestanda obtineat obligatio, monendum arbitror. Dominus enim directus quum legem rei suae tradendae pro lubitu ferre possit, pactis etiam adiectis, vt ipsum feudum sit res hereditaria, fieri potest. Quae vero feudorum species pro prima rei institutione, mutuo scilicet auxilio bellique a Vasallo requisita sequela, rarior omnino inueni-

inuenitur *i*). In feudo igitur hereditario eorum, de quorum origine a primo acquirente constat, successio requiritur legitima, inde quoque, cum res feudalis hac ratione coniungatur cum hereditate, ut ex ea, ad rei hereditariae instar liberi ad facta defuncti obstringantur, efficitur *k*). Quod cum ita se habeat, nullo modo legem Feud. II. 45. constitutam huc trahi posse existimo; vniuersa enim eiusmodi in feudo succedendi ratio secundum ius commune diiudicanda est.

§. XXIX.

Omnis igitur ex feudo qua tali ad facta parentum praestanda ex lege Feud. II. 45. oritur obligatio, cuius, ut de ea accuratius nobis disputandi sit copia, ipsa verba adscribere liceat: "Vbi (Vasallus) filium reliquit, ipse non potest hereditatem sine beneficio repudiare: sed aut vtrumque retineat, aut vtrumque repudiet: quo repudiato, ad agnatos, si paternum sit, pertinebit: et licet alterum sine altero retinere non possit, agnatis tamen consentientibus poterit dominus, eum si voluerit, quasi de nouo beneficio inuestire: quo facto, licebit ei, repudiata hereditate, feudum, nullo onere hereditario ei imminente, retinere." *l*). Ex quo adparet, iure Longobardorum filium indistincte ad aes alienum patris extinguendum teneri; omnia igitur feuda, respectu filiorum hereditaria mixta *m*) et quoad agnatos, tantum pura esse videntur,

i) Cf. BOEHMER princ. iur. feud. §. 16.

k) I. I. B. BOEHMER de filio vasalli successore in feudum. p. 9.

l) Consentit etiam Feud. II. T. 51. l. 4. filius non potest recusare hereditatem patris absque feudo; propinquus autem potest.

m) B. DE BREMER num. deb. feud. a Vasallo soluta haeres allodii repetere queat? §. 10.

dentur, neque illi legi, quod filius omnia patris debita sine villo discrimine praestare debeat, hac derogatur exceptione, quod dominus directus filium repudiantem hereditatem feudo de nouo inuestire possit; tunc enim non qua filius patri succedit in bona pacto et prouidentia maiorum adquisita, sed noua gratia dominium in eum transfertur. Quinam vero huius legis certe iniquae, sunt limites? Primum monendum est, quamquam indistincte ex lege allata filius aes alienum patris ferre debet, attamen iureconsultorum aequitas, verba: "in fructibus, si quos reliquit defunctus, vt de iis debitum soluat, quo tempore decesserit, considerabitur;" quodammodo ad filium pertinere posse censuit, hoc adhibito discrimine, vt filius non solum ex fructibus a patre relictis, sed etiam ex quocunq; alio fructuum genere, pendentibus et perceptis ad aeris alieni adstringatur solutionem. Hic enim fructus non ad hereditatem agnati, sed filii recte pertinent bonisque eius adnumerandi sunt propriis. Feudi vero deinde ipsa substantia nulla ratione ad debitorum et quorumlibet factorum solutionem, quum de illo nulli Vasallo libera sit disponendi facultas, trahi potest, quum eadem lege a filio feudum quam a patre, successori restituendum sit. Prodest denique filio successoris beneficium inuentarii hac ratione, vt non vltra facultatem allodialium fructuumque feudalium vires obligetur. Quod quidem beneficium ex iure civili depromptum, quum nullo contrario iure aliud quidquam statuatur, non omnino destituitur vsu, simulque vt filius cum feudo hereditatem suscipiat iubeatur, nusquam vero modus adeundi sit constitutus n).

Adhibito igitur inuentarii beneficio, id filio, quam vero exiguae, contingit, fortunae vt non ad solidum praestandum, sed ex fructibus feudi aestimationem eius efficientibus, obligetur. Iure feudali Germanorum particulari leges Longobardicae multo angustiores in hac re obtinent limites. Nul-

libi

n) B. BOEHMER d. c. p. 20.

libi in iure Germanico illud inuenitur institutum, vt filius aut repudiet hereditatem cum feudo, aut vtrumque suscipiat. Diuersis vltro verbis leges feudales Saxonum Allemannorumque, filium, ne ex fructibus quidem feudi ad facta parentis praestanda, nisi illo expresse consentiente, teneri innuunt o).

§. XXX.

Quod ad vsum hodiernum attinet, iuris Longobardici omnino statuta in omni fere Germania recepta inuenimus. Semper inde in re dubia secundum eius praecepta diiudicatio instituenda est p) nisi forte derogetur illis iure moribusque vernaculis q). Vtinam illa vbique abrogaretur dispositio! hac enim lege quam maxime iniqua summus nobilium illustrium finis in conseruatione splendoris familiae positus, offuscatur et plane deletur. Nec in illustr. B. BOEHMERI sententiam r), legem Longobardicam acerrime defendentis, pedibus eundum, sed potius hanc iniquam nostrisque moribus omnimodo repugnantem constitutionem plane aboliendam esse censeo.

o) Ius feudale Sax. art. 55. C. 98. Cf. etiam LUDEWIG in dissertat. de oblig. successor. in princip. C. 6.

p) De plur. cf. B. BOEHMERI diss. saepe cit. p. 24.

q) De eo quod in ducatu Brunsv. Luneb. obtinet Cf. B. BREMER diss. citat. p. 27 et PUFFENDORF in introd. in proc. ciuil. l. XX. p. 15. nec non quae refert STUCK in consil. 26. et SELCHOW, *Br. Lün. Priv. Recht.*

r) Diss. cit. p. 15.

CAPVT VII.

c) *Ex iure principum.*

§. XXXI.

1) *iure publico*a) *quod aes alienum*

Summum principis in subditorum augenda felicitate cum positum sit officium, is quoque finis semper in praestandis factis parentis defuncti spectandus est. Illa enim antiqua et trita iuris ciuilis regula, vt nulla hereditas intelligatur nisi deducto aere alieno, cum solummodo de rebus libere alienandis vendendis oppignorandis valeat, omni, in obligatione filii principis ad aes alienum patris extinguendum, destituitur vsu s). Nulli enim vero principum tanta in subditos eorumque bona competit vis et potestas, vt vel maximi aeris alieni conflati solutione, opes subditorum afficere possit; inde debita a patre tali contracta filius nonnisi in tantum, quantum reipublicae felicitati conuenit, praestare tenetur; atque id quidem ita, vt antea creditores versionem in rem probauerint et ab ipso forte territorio sub auspiciis principis conflatum fuerit t).

Hic non omnino incongruo loco nobis referendus videtur singularis de hac re ratiocinandi modus nonnullorum optimatum Francogalliae, quem videsis in: Raynal hist. phil. de établ. des Europ. dans les deux Indes T. 2. p. 342; Francogallia nempe circa a. 1715 immensa liberalitate prodigi Lud. XIV. bellorumque rabie penitus hausta, annonaeque caritate fere depopulata, publica fide vacillante fereque amissa pro-

s) Cf. *Bedenken, zweyer Rechtsgelehrten, in wiefern der Nachfolger in der Regierung pflichtig sey Schulden seiner Vorfahren zu bezahlen?*

t) Cf. quae LEYSER de iniquitate et recto vsu expectantiarum M. ad P. tit. 4. ad f. egregie de hac re monet.

procerum nonnulli rerum desperatione impulsī, illimitatamque regiae domus exosi potestatem, ideam quandam conceperunt, vt ita dicam bonorum quasi cessionis (*Staats-Bankerots*), valde singularem hanc viam, ad moderandum regiminis legibus soluti rigorem, putantes idoneam. Hunc nimirum sibi fingebant ratiocinandi ordinem. Regia dignitas neque electione neque hereditate defertur. Res potius fidei regiae familiae ea lege commissa est, vt, ea dum illa floreat, masculus masculo, maiorique natu, maior natu succedat.

Hoc secundum principium Rex Francogalliae posterior nulla ratione ad facta antecessoris praestanda obligatur, cumque pro ordine descendentium vi iuris, ipsa *natiuitate* sibi delati adquirat dignitatem, iniuste is personam defuncti referre diceretur; lex enim fundamentalis, qua solium ascendit, substitutionem puram omnique onere atque obligatione liberam iubet. — Eheu! quae monet dira necessitas Cf. quae ex altera parte affert! *Struck* consil. 26. pr. Optimum ad eiusmodi rerum desperationem euitandam hoc fore consilium autumo: vt principi, non nisi in ipso territorio, apud ipsos subditos aēs alienum conflare lege fundamentalis permillum esset. Legi merentur in primis, quae docet erud. *WIESIGER* in: Beantwortung der Fragen: “Was ist Wucher? ist es gut ihn zu hemmen? — und wodurch kann er gehemmt werden?” — Berlin 1750. 8.

Ad reliqua facta patris praestanda obstringitur filius illu- b) *paſſa*
stris, si a tempore executionis in perpetuum commissa sint. *et foedera*
Hac ratione pacis foederisque a patre latas leges, nisi in *et extem-*
modo peccatum sit, et pacta, quae reipublicae interfunt, omnino *plō vali-*
seruanda esse censeo. Cum enim princeps ciuitatis referat *tura.*
personam, eiusmodi facta etiam secundum hoc principium diiudicanda sunt.

Conuentiones igitur cum ordinibus initas, recessus limitum, aliaque eiusmodi velut priuilegia subditis in perpetuum concessa, filium etiam seruare oportet.

Ex

c) *in futurum sub conditione euentus*

Ex iis vero quae futura spectant, siue pactis siue promissis nullo modo filius obligari potest. Veluti spes succedendi in feuda, munerum et honorum obtinendorum a patre defuncto concessa plane, nisi forte a filio confirmata fuerint, irrita habenda sunt.

§. XXXII.

a) *ex iure priuato principum.*

Cum denique principum priuata sint quoque iura et obligationes, ex iis liberorum ad facta parentum praestanda deducenda foret obligatio, nisi huius rei principia decidendique argumenta ex iuris feudalis, communis, particularisque illucelcerent legibus *u)*.

Imitandum verum inprimis pactum domus Nassouicae a. 1783, quo, filium ne ex redditibus quidem feudi bonorumque auitorum teneri posse, sancitur.

u) Cf. PÜTTERI ius priv. princ. p. 106 squ.

Göttingen, Diss., 1790-91

ULB Halle


004 826 981

3



f

TA → OL
neu 17hick v



JO. CAROLI CHRISTIANI WACKERHAGEN
HANNOVERANI
1790, 9
1790
COMMENTATIO
DE
PRINCIPIIS ET LIMITIBVS
OBLIGATIONIS LIBERORVM
AD FACTA PARENTVM PRAESTANDA.

IN CONCERTATIONE
CIVIVM
ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
DIE IV. JUNII MDCCCXC
AD PRAEMIVM A M. BRITANNIAE REGE AVG.
CONSTITVTVM
AB ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM ORDINE
SECVNDO LOCO
ACCEDERE IVSSA.

Dulce periculum est.

HOR.

GOTTINGAE
TYPIS JO. CHRIST. DIETERICH.

